Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 558. Palagii Pap. Annus 4. Ivstiniani Imp. Annus 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

imitatione multa æquandum, conflabat vero auro, argento, omniſque generis lapidibus lignis, metallis, omnibuſque rebus, quas terra fert, mare, & totus mundus: ex omni materia pretioſiora plura & viliora pauciora collegerat; liquatiſq; his, quæ fluunt, ſuccalplus ad libitum immiſerat, atque in formam menſæ abſoluerat. Itaque varium illud opus omnibus ſtuporem conijciebat: In orbem hanc habuit inſcriptionem.

TVA DE TVIS TIBI OFFERIMVS SERVI TVI CHRISTE IVSTINIANVS ET THEODORA. EA TV PROPITIVS ACCIPE FILI DEI VERBVM QVI NOSTRI CAVSA CARNEM ASSVMPSISTI ET CRVCI AFFIXVS FVISTI. AC NOS IN TVA RECTA FIDE CONSERVA. ET QVAM NOBIS COMMISISTI REMP. EAM AD TVAM GLORIAM AVGE ET TVERE INTERCEDENTE SANCTA DEIPARA VIRGINE MARIA. hactenus inſcriptio. Ruſſus vero de eodem ſumptuoſo ornatu meminit Agathias vbi ait: *Huius ex verbis noſſe inſuper poteris, ſanctimi illud ſacellum argento auroq; conſtare, & in myſteria duntaxat ſepoſitum pretioſiſſimis rebus & mira varietate ornatum*, at de his modo hactenus.

IESV CHRISTI

Annus 558.

PELAGII PAP. Annus 4. IVSTINIANI IMP. Annus 32.

I. QVingenteſimus quinquageſimus octauus ſequitur Chriſti annus, poſt Baſilij Conſulatum decimuſſeptimus, idemque Conſtantinopolitanæ ciuitati ob nouas ingruentes clades plane miſerrimus, longeque ſuperiori funeſtior: etenim ille vltima ſui parte ob terræ motum duntaxat infelix, hic vero peſte belloque ſemper æ rumnoſus extitit. Complectitur breuiter Agathias lugubrem tragœdiam verbis iſtis [a]: *Eodem anno, vere iam ineunte denuo & iterato vrbem peſtilens morbus inuaſit, & infinitam ſuſtulit multitudinem: haud tamē prorſus ceſſauit ex quo tunc primum anno Iuſtiniani imperij quinto irrepere hanc noſtrā regionem cœpit.* qualis vero eiuſmodi contagio eſſet ita *... interibant autem repentina morte quā multi tanquā apoplexia graui morbo correpti: qui plurimum reſiſtebant, ad quintum vix diem vita defungebantur.* ed & qualis eſſet febris, quæ hos perurgebat, narrare pergit.

II. *Ad tanta hæc auertenda mala peſtis ſcilicet & terræ motus, Iuſtinianus Imperator haud dubius ob peccata ēa mittus eiuſmodi immitti flagella, hanc ad populum Conſtantinopolitanum edidit ſanctionem* [b].

Omnibus hominibus qui recte ſapiunt, manifeſtum eſſe putamus, quia omnis nobis eſt ſtudium & oratio, vt crediti nobis à Domino Deo bene viuant & eius inueniant placationem: quoniam & Dei miſericordia non perditionem, ſed conuerſionem & ſalutem vult: & delinquentes qui corriguntur, ſuſcipit Deus. Propter quod vos omnes inuitamus, Dei timorem in ſenſibus accipere, & inuocare eius placationem: & nouimus quia omnes, qui Dominum diligunt, & miſericordiam eius ſuſtinent, hoc faciunt. Igitur quoniam quidam diabolica inſtigatione comprehenſi, & grauiſſima luxuria ſemetipſos inſerunt, & ipſi natura contraria agunt: Iſtis iniungimus, in ſenſibus accipere Dei timorem & futurum iudicium, & abſtinere ab huiuſmodi diabolicis & illicitis luxuriis, vt non propter huiuſmodi impios actus ab ira Dei iuſta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis ſcripturis quia ex huiuſmodi impiis actibus & ciuitates cum hominibus pariter perierunt.

III. *Et quoniam quidam ad hæc, quæ diximus & blaſphema verba & ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes: iſtis iniungimus abſtinere ab huiuſmodi & aliis blaſphemis verbis, & non iurare per capillos & caput & his proxima verba. Si enim contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Propterea igitur omnibus hominibus huiuſmodi præcipimus à prædictis delictis abſtinere, & Dei timorem in corde accipere & ſequi eos, qui bene viuunt. Propter talia enim delicta & fames & terræmotus & peſtilentiæ fiunt: & propterea admonemus abſtinere ab huiuſmodi prædictis illicitis, vt non ſuas perdant animas. Sin autem poſt huiuſmodi noſtram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis: primum quidem indignos ſemetipſos faciunt Dei miſericordia, poſt hæc autem & legibus conſtitutis ſubijciuntur tormentis.*

Præcipimus enim glorioſiſſimo Præfecto ciuitatis regiæ, permanentes in prædictis illicitis & impijs actibus poſt hanc admonitionem noſtram comprehendere, & vltimis ſubdere ſuppliciis, vt non ex contemptu talium inueniatur & ciuitas & Reſpublica per hos impios actus lædi. Sin autem poſt hanc noſtram ſuaſionem quidam tales inuenientes hoc ſuperceläuerint, ſimiliter à Deo Domino condemnabuntur. Ipſe etenim glorioſiſſimus Præfectus ſi inuenerit quoſdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit ſecundum noſtras leges: primum quidē obligatus erit Dei iudicio: poſt hæc & noſtram indignationem ſuſtinebit. hucuſq; Imperator, qui dum famem, terræmotum, & peſtem per eiuſmodi delicta illata refert, nec de barbarica graſſatione quicquam meminit: inde adducimur, vt credamus eam hoc anno latam eſſe, ſed ante Hunnorum aduentum, qui tempore autumni contigit, vt Agathias docet. Verum primo quid Glicas hic addat, audi: IV.

Cum (inquit) *reperti quidam eſſent illicitis vtentes amplexibus tanquam in triumpho per vrbem veretris prius amputatis, ducti ſunt. Horum in numero quidam magnates & Pontifices erant, qui hoc modo circumducti vitam miſere finiebant.* Sed hæc expreſſius accipe à Cedreno, dum ait: *Anno ſecundo Iſaias Rhodi & Alexander Dioſpolis Thraciæ Epiſcopi, aliique multi deprehenſi ſunt maſculorum corruptores. Horum aliis veretrum amputari iuſſit Imperator, aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eoſque nudos in forum quaſi in triumpho produci. Fuerunt & ciuium ac Senatorum multitudo & Pontificum ſummorum non in eadem culpa, qui caſtrati & publice nudi in forum producti, miſerabiliter perierunt, ſuoque exemplo reliquos pudicitiam colere docuerunt. Tulit Iuſtinianus tunc leges contra impudicos, &c.* e quibus eam hoc tempore latam eſſe, quam diximus ea, quæ ſunt dicta ex Agathia de terræmotu atque peſte, ſatis docent: horum namque ſcelerum gratia tāta obuenisse mala, Imperator ea eſt edita ſanctione conqueſtus. Verum nec tantæ maculæ tantis ſunt abſterſæ flagellis, quæ olim nonniſi igne immiſſo cœlitus dilui meruerunt. Nam audi ab eodem auctore Agathia [c], quæ hoc eodem anno autumni tempore mala Conſtantinopolim oppreſſerunt. V.

[c] Agath. l. 5.

VI. NOVA HVNNORVM INCVRSIO.

Super his autem ciuitati & alia pleraque eodem tempore inciderunt tumultuoſa & turbida, nihil minus quam ea, quæ diximus permoleſta. Sed qualia fuerint, explicaturi mox ſumus, ſi prius & breuiter vetuſtiora quædam nos tranſegerimus. narratis poſt hæc de Hunnorum gente nonnullis, mox iſta ſubiungit: *Eodem itaque anno, quo peſtilentiſſimum morbum Byzantium diximus inuaſiſſe, Hunnorum reliquiæ ſaluabantur, eratque adhuc celebritate & nomine clari. Deſcendentes itaq; Hunni ad notum ventū, haud longe ab Iſtri fluminis ripis pro eorum arbitrio conſiderabant. Tunc igitur hieme iam ineunte huius fluminis aqua (vt alias ſemper) nimio præ algore magnam in profunditatem concreta obſtricta que obduruerant, adeo vt peruia tam viris eſſent, quam equis iam redderet. Zabergan igitur Cotrigurorum Hunnorum præfectus magna cum hominum, equorumque multitudine, dum per conſtrictos fluminis vortices nihil ſecus ac terra iter haberet, facillime in Romanæ ditionis loca pertranſit, nimirum quæ deſerta tam eſſent, & prodeunti ſibi nihil impedimento fuiſſet. Quo factum eſt, vt quamprimum Mœſiam, Scythiamque tranſgreſſus in Thraciam demū peruenerit: quo vbi ventum, exercitu partim in Græciam, vt de improuiſo ſine cuſtodia loca excurreret & popularetur, dimiſit, & alias deinceps manus in Cherſoneſum Thraciæ*, ac poſt nonnulla,

VII. INGENS ET MISERANDA STRAGES.

Ipſe vero Zaberga cum equitum millibus ſeptem recta ire Conſtantinopolim pergit agros depopulando tentanſq; pro-

xima quæque caſtella ita vt paſſim omnia perturbaret. & poſt hæc: *Cum itaq; prodeuntibus iis nemo obuiam iret, incurſiones libere factitabant, & agros depopulati ingentem auerrebant prædam, magna vi captiuorum coacta quos inter & fœmina quam multæ vt nobiles, ita & continentiſſimæ crudeliter trahebantur: quæ vtique infeliciores eo maxime erant quod & barbarorum miniſtrare profuſæ libidini cogebantur. Quin etiam barbari homines plerisque vel è ſacrario abductis vim inferebant, quæ à pueritia iampridem nuptiis renuntiaſſent & ſeculi voluptatibus, ac caſtam vitam vt degerent, in remoto aliquo domicilio recluderentur Deo ad ſupplicandum idoneo, & id magni facerent, vt ſemotæ omnino & liberæ à quouis hominum contubernio quã procul abeſſent quietique ſe ſolum permitterent. Erant præterea, quæ cum barbarorum venirent contubernio, vel partui proximæ (ſi quæ forte iſt huiuſmodi eſſe tunc contigiſſent) ita diſtrahebantur, vt ſi neceſſitas ipſa pariendi ingrueret in ipſo itinere, in propatulo fœtum mox ederent, nec verecundos poſſent partus dolores obtegere, vel hos vrgentes ſignificare: vnde vel editi plerūq; infantes canibus diſcerpendi, vel auibus in ſolitudine relinquerentur, perinde idcirco eſſent in lucem producti & fruſtra quod nati fuerant, hi degeſſiſſent.*

VIII. DEPLORATVS RERVM STATVS.

Rem ſane calamitoſam, vt eo tandem res Romanorum redacta iam eſſet, vt vel in ea ipſa regia vrbis loci à barbaris etſi perpaucis quidem mala hæc inferrentur. Quibus tamen non catenus audacia finiebatur: ſed vrbem verſus progrediendo, ad longos (quos nuncupant) muros ſe facile contulerint, & præſidia, quæ infra hos eſſent, appropinquabant: iam vero præ vetuſtate & negligentia maioris caſtelli diſſolutum ceciderat ædificium. Tum barbari ipſi vel ſtantes in partem aliquam muros haud ſecus ac ſua intrepide diſturbabant: nec aliquid erat, quod hos coerceret, cum nullum ibidem eſſet militare præſidium collocatum, nec vlla ad defenſionem tormenta, nec denum (ſi forte affuiſſent) qui ea tractare ſatis callerent: nec canum latratus audiebatur, nec hominum fremitus & ſi non id diſtur ad cælum ſit, tanquam porcorum in clauſtris Romani exercitus intercluſi marcebant, tametſi vel eo numero eſſent, quo tunc primum & veterum Imperatorum tempore recenſebantur, & non in minimam partem redacti haudquaquam ſint tamen Imperij magnitudini ſuffecturi. Enarratis denique, quam florentiſſimi olim eſſe ſolerent atque copioſiſſimi, qui vbiq; terrarum nutriebantur exercitus, ſugillataque ignauia Iuſtiniani iam in ſenectute non ferro, ſed auro barbaros auertere conſueti, talia deplorans tempora, iſta ſubdit:

IX. PRODIGIOSA IVSTINIANI MVTATIO.

In ſcorta, aurigas & homines eiuſmodi effœminatos ac delicijs deditos cunctisque in ſeditiones tantum intentos & corporum curam, contentioſos furentes, audaces, & alia demum muneris longe momenti militare ſtipendium inſumebatur. Quo factum eſt, vt non ſolū Thracia, ſed vel proxima regiæ vrbi loca deſerta iam adeo eſſent & ſine vlla cuſtodia derelicta, vt barbaris peruia fierent, & ad incurſiones nimium opportuna: nam illi eo cauſerant inſolentiæ: vt vel ad Melantiadem vicum caſtra poſuerint, qui à Byzantio ne centum quidem quadraginta ſtadiis abeſt: quem vicum Atyras circumfluit amnis, qui ſemel exiguo progrediens ſpatio, in auſtrum ventum ſenſim declinans, in Propontidem fluxum eructat, ad cuius ripam ipſo in exitu promontorium habet porrectum, cuius appellationem & flumen id retinet. Hoſtibus itaque tam proxime vrbem ſtationem habentibus, ciuium multitudo & timore primum & pauore perculſi, & imminentia mala non ſolum qualia eſſent, ſed longè maiora animo agitare, ſomniareque obſidionem, incendia futuram neceſſariorum carentiam, mœniumque diruptiones.

X.

Itaque in ciuitatem, in publicas vias fuga ſubito multitudinis facta impulſioneque mutua & pauores, & quidem pertrepidi, ita & temerarij, perinde iam barbari in ſe impetum fecerint. In forumque ex portarum vio ſuo impulſu crepitus ingens iam edebatur: atque adeo vt non modo plebeios obſcuræ ſortis homines timor inuaderet: ſed magiſtratus omnes, & Imperator haud parui quæ acciderant faceret. Dehoneſtabantur itaque Imperatoris ipſius permiſſu ſacra omnia tem, la *extra vrbem locata. Europæque è regione littorique adiacentia loca quæ vbique Blancherniis (id loco nomen) initium ſumunt, in pontum vſque Euxinum porrecta ſunt, & in Boſphorum deſinunt. Ex his itaque locis, quæ pretioſiora eſſent ablata omni*

CVNCTA LVCTVLENA.

cum cætero apparatu his neceſſario, partim plauſtris deferentes intra vrbem depoſuerunt, partim inuecta nauigiis & intermedio traiecta freto in aduerſum littus in continentem mox deuehunt. Videres tunc ſacras nudatas ædes ſuo ſplendore ſi & ornatu priuatas perinde ac nunquam antea dicatas nec religionis quicquam aut ſanctitatis ſortitas, ſed vt nuper fundatas. Adeo autem terribilia erant & ingentia illa diſcrimina tantopere, vt occurſu omnino animis ipſis concepta, vt vel Sycas mœnia Chſeamque portam primores quidam Præfectique & armatorum vis magna inſederint hoſtes oppugnantium, ſi ſe forte inuaderent. Illius modi fuit miſerandus ciuitatis ſtatus: ex quo quiſque reliqua, quæ extra vrbem, & in aliis tum Thraciæ, tum Græciæ ciuitatibus, in quas iidem Hunni graſſati ſunt, ab iiſdem ſint crudeliter acta, poterit intelligere: Subdit vero Agathias:

XI. BELISARIVS ARMATVR ADVERSVS HVNNOS.

Dum interea ciuitas omnis tumultuando maximum in modum perturbaretur, & barbari haudquaquam proxima quæque depopulari intermiſiſſent: Beliſarius clariſſimus olim Præfectus, etſi præ ſenectute in curuitatem iam declinaſſet, mittitur tamen per Imperatorem in hoſtes, eo armorum habitu circumactus, quibus à pueritia iam inſueuerat: vnde & rerum per ſe quondam geſtarum recordatio ſuccurrebat, & ipſe quidem de ſe mira animi promptitudine iuuenis munera exequebatur: id namque illi vltimum in vita certamen fuit, nec tamen ex eo minorem retulit gloriam, quam ex Vuandalis olim Gothiſque deuictis: ſiquidem malorum præteritorum & futurorum iam deſperatio, vt conatus hoſtem a oris fore, ſuperbioreſque arguebant, ita & victoriam perinundam. Quomodo vero idem Beliſarius nõ ſine labore atque periculo eiuſmodi tandem ab vrbe propulſauerit infeſtos barbaros, idem Agathias pluribus narrat: ac demum quonam pacto reliquos Hunnos per Thraciam Græciamque graſſantes, non armis ſed auro penſo, annuoque pollicito, vt ad propria redirent tributo perſuaſit atque alios Hunnos, quibus antea idem Imperator tributum pendebat aſtuto conſilio in hos concitauit, idem auctor fuſius proſequitur: ſed hæc nobis ſatis ad inſtitutum.

XII.

Quam autem iuſta querela fuerit Agathiæ iſta tempora deplorantis, cum theſauri Romani Imperii non copioſiſſimi vt olim exercitus nutrirentur, ſed iidem in aurigas & alios huiuſmodi vanos homines impenderentur, audi ſuorum quoque temporum nobilem hiſtoriarum ſcriptorem Euagrium, cum hæc tradit a: *De alio idem Iuſtiniani facto mihi dicendum eſt: quod quidem ſiue ex naturæ vitio, ſiue ex formidine & timore ortum ſit non habeo dicere: eius tamen generis fuit, vt omnem belluinam immanitatem longe ſuperaret: Duxit autem initium ab ea ſeditione populari, quam Nica, hoc eſt, Vince, vocant. Placuit Iuſtiniano ita vehementer in alteram factionem eorum, qui Praſini dicuntur, animo propendere, vt impune poſſent ipſo meridie in ciuitate aduerſarios trucidare, & non modo non pœnas metuerent, verum etiam dignarentur honoribus: adeo vt inde multi homicidæ exiſterent: Licebat enim illis in ædes alienas irrumpere, theſauros diripere, in illis reconditos hominibus ſuam ipſorum ſalutem ac vitam diuendere. Et ſi qui magiſtratus illos cohibere moliretur, ſuo ipſius capiti creauit periculum.*

a Euagr. l.4. cap.31.

IVSTINIANVS VENETIAE FACTIONI FAVET.

XIII.

Vnde certe vir quidam, qui geſſit in Oriente magiſtratum, quoniam nonnullos eorum, qui rebus nouis ſtudebant, verbis coercere voluit, quo modeſtiores efficerentur: per mediam vrbem circumductus fuit nerui grauiter cæſus. Callyniciuſ porro Præſidens Ciliciæ, cum duo Cilices Paulus & Fauſtinus, homicidæ vterque in eum impetum fecerent, occidereque in animo haberent: quoniam pœna ex legibus conſtituta eos mulctauit, in crucem actus eſt hocque ſupplicio pro recta conſcientia & legum obſeruatione affectus. Inde factum eſt, vt qui alterius erant factionis, cum domiciliis ſuis fugiſſent, & à nemine vſquam exciperentur hoſpitio ſed vt ſcelerati vbique exagitarentur, tende re inſidias viatoribus, compilare, cædes facere cœperint, vſque eo, vt omnia locarent immatura, direptione, & reliquis id genus maleficijs redundarent. Interdum animo in contrariam ſententiam mutato, eius generis homines interficit, legumq; permiſſa poteſtate etiam eos, quos ante paſſus fuiſſet more barbarorum in ciuitatibus impia ſcelera conficere. Sed ad iſta ſingulatim

proſequenda mihi nec tempus ſuppetit, nec facultas dicendi. Atque ea, quæ diximus, ſatis eſſe poterunt ad coniecturam de reliquis eius facinoribus faciendam. hucuſque Euagrius de magno legiſlatore, veruntamen maximo reuera iniquum procuratore. At à quibuſnam abſtinuiſſe iniuſtis actib. potuit, qui nec veritus eſt in ipſum Romanum Pontificem manum inijcere ita miſer à priſtino illo vitæ inſtituto deſciuit, cum ſe ſupra ſe contra Dei ſacroſanctos ſacerdotes erexit. ſed hæc ſatis: ad res iam Occidentales.

XIV. Hoc eodem anno, quem diximus adnotatum poſt Conſulatum Baſilij decimum ſeptimum magnus ille Eccleſiæ Narnienſis Antiſtes S. Caſſius ex hac vita feliciter tranſijt. Teſtantur id eiuſdem Eccleſiæ vetera monumẽta nempe his verſibus ad eius ſepulchrum inſcriptio exarata, haud tamen exculta mineruá: inter tot enim tantaque bella, quibus eſt Italia deuaſtata, bonarum litterarum campum ſpineta repleuerant.

Caſſius immerito Præſul de munere Chriſti,
Quem ſato anticipas conſors dulciſſima vitæ.
Tu rogo quiſquis ades, prece nos memorare benigna.
His ſuarediticus terra mihi credita membra.
Ante meum in pace requieſcit Fauſta ſepulchrum.
Conſtare optarunt te noſſe congrua factu.
D.D. ANN. XXI. M. VIIII. D. X.
RR. IN PACE. PR. KAL. IVL.
P.C. BASILII AN. XVII. Vides ſanctiſſimum virum ex cõiugio (vt aliis etiam pleriſq; viris ſanctiſſimis contigit) vocatum ad Epiſcopatum, egregia claruiſſe ſanctitate cuius præclaram memoriam annis ſingulis in Eccleſia celebrandam Eccleſiaſticæ tabulæ reddunt die ipſius natali, qui ita deſcribitur à ſancto Gregorio Papa *a*:

XV. Gregor. dialog. li. 4. c. 56. *Vir vitæ venerabilis Caſſius Narnienſis Epiſcopus, qui quotidianum offerre conſueuerat Deo ſacrificium, ſeque in lacrymis inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per diaconum ſui preſbyteri ſuſcepit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris non ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua, natali Apoſtolorũ venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui poſt annos ſeptem, ipſo natalitio Apoſtolorum die, cum Miſſarum ſolemnia peregiſſet: & myſteria ſacræ communionis accepiſſet è corpore exiuit.* hactenus de Caſſij tranſitu ſanctus Gregorius.

XVI. Hoc eodem anno magnus ille Ioannes cognomento Silentiarius ex Epiſcopo anachoreta, de quo complura ſuperiori tomo dicta ſunt, ex hac vita migraſſe reperitur annos natus centum quatuor, vt liquet aſſertione Cyrilli eius diſcipuli, quem Euthymij & aliorum illuſtrium monachorum res geſtas ſcriptis mandaſſe diximus: licet agones eius aduerſus hæreticos præſertim vero Origeniſtas ab aliis conſcribendos fuiſſe teſtetur: quamobrem ipſe de Sancto præclariora prætermiſiſſe videri poteſt. Sed audi ipſum ita perorantem: *Hæc quidem pauca ex multis ſelecta mandaui litteris, mittens narrare eius de fide certamina, quæ ſuſcepit aduerſus Origenis & Theodori Mopſueſtiæ dogmata & eorum, qui ea defendebant, & perſecutiones, quas cõgruenter Euangelio pro decretis ſuſtinuit Apoſtolicis. Sed quæ ab eo in his geſta ſunt, relinquo narranda aliis. Scio enim fore, vt multi (ſicut eſt conſentaneum) poſt eius deceſſum ſtudeant ſcribere eius certamina & perſecutiones & pericula, quæ ſuſtinuit pro fide Orthodoxa, victoriaſque & res ab eo glorioſe geſtas,* &c. Sed his caremus magno detrimento eius temporis hiſtoricæ veritatis. Quod ad rationem tẽporis eius obitus pertinet, ſatis id liquet, vt quem natum idem Cyrillus tradit anno quarto Imperii Marciani Aug. qui eſt annus Domini quadringenteſimus quinquageſimus quartus, & vixiſſe ſcribit annos centum & quatuor, eum hoc anno defunctum opus ſit affirmare: quem inter Sanctos in tabulas eccleſiaſticas relatum, tum Orientalis, tum Occidentalis Eccleſia anniuerſaria memoria colit. Hic vero rerum geſtarum anni huius finis eſto.

***

IESV CHRISTI
Annus 559.
PELAGII PAP. Annus 5. IVSTINIANI IMP. Annus 33.

QVingenteſimus vndeſexageſimus Chriſti annus idem Iuſtiniani Aug. trigeſimuſtertius, & poſt Baſilij Conſulatum decimuſoctauus annus inſcribitur: quo Pelagius Papa, vbi ſediſſet annos quatuor, menſes decem, dieſq; decem & octo, ex hac vita migrauit ſecunda Martij, ita ex Anaſtaſij commentario, qui ſcriptus habetur in Vaticana bibliotheca, ex quo iſta exſcripſimus: quibus erroris redarguuntur, qui eumdem ſediſſe annos vndecim & aliquot menſes ac dies ponunt, quiue anno ſequenti eumdem mortuum tradunt. Sed quæ de ipſo ſparſim ſcripta reperiuntur, nec quo facta ſunt anno deſcribi poſſunt, his veluti appendicem apponamus. De eodem enim Pelagio hæc Hadrianus Papa in epiſtola ad Carolum magnum de imaginibus: *Multo amplius vero eius ſanctiſſimi ſucceſſores dominus Pelagius & dominus Ioannes mira magnitudinis Eccleſiam Apoſtolorum à ſolo ædificantes, hiſtoriis diuerſis tam in muſiuo quam in variis coloribus cum ſacris pingentes imaginibus, & nunc vſque hactenus à nobis venerantur.* hæc Hadrianus. Porro de eadem baſilica à Pelagio cœpta, à Ioanne vero ſucceſſore perfecta idem qui ſupra Anaſtaſius meminit in Ioanne; eamque titulo Philippi atque Iacobi ſanctorum Apoſtolorum conſecratam affirmat. ex antiquis Vaticanæ baſilicæ monumentis à Mallio collectis, de abſoluta à Ioanne Papa baſilica à Pelagio cœpta habet verſum hunc: I. PELAGII PAP. OBITVS.

Pelagius cœpit, compleuit Papa Ioannes, recitatur ab eodem & epitaphium Pelagij Papæ inſcriptum his verſib.

PELAGII PAPÆ EPITAPHIVM.

Terrenum corpus claudunt hæc forte ſepulchra
Nil ſancti meritis d rogatura viri.
Viuit in arce poli cœleſti luce beatus,
Viuit & hic cunctis per pia facta locũ.
Surgere iudicio certus, dextramque tenentem
Angelica partem ſe rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Eccleſia Dei,
Quos ventura vt † ſæcula ferre queant:
Rector Apoſtolicæ Fidei veneranda retexit
Dogmata quæ clare conſtituere Patres.
Eloquio curans errorum ſchiſmate lapſos,
Vt veram teneant corda placata Fidem,
Sacrauit multos diuina lege miniſtros,
Nil pretio faciens immaculata manu,
Captiuos redimens, miſeris ſuccurrere promptus,
Pauperibus nunquam parca negare ſibi
Triſtia participans læti moderator opimus:
Alterius gemitum credidit eſſe ſuos.

Hic requieſcit Pelagius Papa, qui ſedit annos quatuor, menſes decem, dies decem & octo Depoſit. 4. Non Martij. hactenus ibi.

Quod vero ſpectat ad Eccleſiam Apoſtolorũ, his opportune ſubiiciendum duximus antiquum bullæ exemplar è manuſcriptis Vaticani excerptum eiuſdẽ Ioannis III. cui eiuſmodi inſcriptio præpoſita legitur his verbis. II. DE BASILICA XII. APOSTOLORVM.

Exemplum Bullæ Papæ Ioannis Tertii, vbi dicit baſilicam duodecim Apoſtolorum initiatam per Pelagium prædeceſſorem ſuũ, & morte præuento non abſolutam conſummaſſe, Titulumq; Cardinalem eam conſtituiſſe & aſſignat eidem baſilicæ parochiæ fines, & eam diuerſis donariis donat de ſuo Veſtiario.

III. *Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Cardinalibus & clericis Eccleſiæ Apoſtolorum perpetuo in Chriſti ſeruitio manentibus,* Ex his habes in vno titulo plures fuiſſe aliquando Cardinales presbyteros.

Quoniam primitiuam Eccleſiam poſt incarnationem Chriſti duodecim Apoſtoli prædicatione illuſtrauerunt, & operibus ſtabiliuerunt, ſicut in Actibus eorundem legitur, quibus erat cor vnũ: & in eiſdem erant illis omnia communia; ac pro Chriſti fide legitime decertantes glorioſe coronati ſunt; placuit mihi Ioanni Vrbis Romæ humillimo Pontifici Eccleſiam duodecim Apoſtolorum confirmare, quam Pelagius Papa bonæ memor. & prædeceſſor*

*conſummare.